


celerimis clausulis expressa, ita eas quadrato inferes. Cum prima nota cantus semibreuis sit posita in b. quares ultimam clauem b in fronte quadrati occurrentem; in primo spacio huius columnæ per lineolam determinabis semibreuem, cum verò secundæ tactus notæ sint partim semiminimæ, partim fusæ, pro semiminima in b in secundo tactus spacio lineolam determinabis semiminimæ respondentem, vel quod idem est $\frac{1}{2}$ spacij tactus partem ferè occupantem; cum verò prima fusarum in g posita sit, quære columnam g, ibique in secundo spacio tactus in secunda linea lineolam fac $\frac{1}{2}$ partem spacij tactus vnius ferè æquantem, sequentem fusam in a, referes lineola in columna a secundi spatij tactus in medio secundi spatij ordinatam, & sic ordine secundum notarum ascensum progredieris, donec omnes notas singulis locis in quadrato correspondētibus aptè inferueris, prodibitque quadratum phonotacticum præcedens, in quo quæcunque hucusque dicta sunt, præcisè exhibentur. Quare illud cum præcedente cantilena sedulo vt conferas suadeo; Ex hoc enim vnico paradiigmate nullo negotio alia omnia comprehendes.

Diuisum itaq; & præparatum dicta ratione quadratum phonotacticum cylindro circumduces, vel etiam totum eidem agglutinabis. Hoc enim peracto, dentes ferreos cylindro infiges iuxta notas in quadrato per lineolas expressas. Semibreues notæ debent habere dentem limatum politumque tantæ longitudinis, quanta est lineola eum repræsentans. Verùm hic dentes ad meliorem rerum intelligentiam apponere volumus. A refert semibreuem, b minimam, c semiminimam, d fusam, e semifusam, debent autem omnes eiusdem altitudinis extra cylindrum eminere perfectè æqualitate.

Consistit enim in hoc negotio totius harmoniæ perfectio. Cum igitur iam in cylindro longitudines locaque singulorum dentium lineolis perfectè sint expressa, nihil aliud faciendū est, nisi vt dentes prius preparati & affabrè facti singulis suis locis ritè infigantur. & habebimus cylindrum omnibus numeris absolutum; Vides igitur quomodo promotio manubrio cylindri totius simul cylindrus moueatur, muteturque, palmularum ferreis linguis semper immotis manentibus.

Si quis vero ingeniosa præludia, quas *Toccatas*, siue *Ricercatas* vocant, in cylindrum phonotacticum transferre vellet; is cylindrum ampliorem conficiat, 100 videlicet temporum capacem apparet; cuiusmodi hic vnā apponendam duxi, à Gaspare Kerll, Serenissimi Archiducis Leopoldi, Mecenatis nostri munificentissimi, Organædo, Musico eximio compositam, in quā tanquam in idea quadam elucescit absolutissimi huiusmodi styli ratio, dignissima proinde quam ingeniosus opifex tum in automatis artificiosè concinnandis, tum in Organis industria manu exhibeat.

Ricercata in Cylindrum phonotacticum transferenda.





318 *Musurgia Vniuersalis sive Artis Consoni & Dissoni*



